

cribro non manent nisi paleæ, sic inutilia in corde talium. Quocirca bene istis Sapiens occidit: *Usquequo parvuli diligitis infantiam? Et stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient et odibunt scientiam*, Prov. 4.

Quæso vos si jam ex cathedra projicerem aūrum in multis marsupiis affabre acu pictus; num vos ita amentes essetis, ut mirando et iustrando marsupia, aurum elabi sineritis et sola marsupia retineretis? Non puto sane. Atqui hoc quam plurimi faciunt in auditu verbi divini, similes Atheniensibus, qui *Non vocabant nisi audire aliquid novi*, Act. XVII.

III. Alii inconstantes sunt, qui intra rete conclusi, vel hamo inescati, nihilominus se extrahant. Ejusmodi est mugil, qui teste Isidoro, I. XII. mira agilitate rete transilit. Sed et sclopendra piscis, qui, ut refert Pierius, I. XXX. hierogl. hamo glutito, fila hami morsu abscondit, turn illa cum hamo expuit, eademque abjecto hamo in ventrem retrahit. Quibus simillimi sunt complures nostri sæculi homines, qui etsi verbo Dei non nihil inescantur, nequaquam tamen capiuntur, eo quod auditum non retinent, sed devoratum evomunt et resilunt. Proponunt restituere ablata; mox visa rei difficultate deponunt sententiam, et reglutiunt scelera: proponunt confiteri et emendari; sed pudore absterriti, abjiciunt animum, et reglutiunt peccata. Unde Sapiens, Eccles. XII. dixit: *Cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non retinebit*. Quomodo vas confractum? Quia partim cupiunt adhærere Deo, partim volunt adhærere mundo, carni et sanguini. Unde hujusmodi corda quia rimas agunt, et in utramque partem claudicant, sapientiam Dei non retinent. De his etiam Ezech. XXXIII. dicitur: *Audiunt sermones tuos et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos; et os eis quasi Carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur*. Ut enim juvenes et pueræ, cum nocte musicam audiunt transeuntem, lecto surgunt, ad fenestras currunt, ea finita ad lectos recurrent: sic aliqui dum audiunt concionem, videtur vita deserere velle, sed mox ad ea redeunt. Denique, hi sunt de quibus Dominus, Luc. VII. parabolam proposuit. Alii enim secus viam sedent, qui proponunt quidem verbo obediare, restituere, et viam Dei ingredi; sed dum sedent et moram trahunt, diabolus aufert ab eis verbum et propositum simul bonum: obliviscuntur enim tandem omnino verbi auditum: alii cor petrosum et durum habent; qui terrentur operum difficultate, vel modestia vincendi malam consuetudinem: in aliis suffocant verbum spinæ veluptatum, etc.

IV. Alii sunt obstinati, qui omnem respuunt capturam, et fugiunt etiam oblatas sibi escas,

atque adeo ipsum hominum aspectum. Ejusmodi pisces sunt, qui teste Ola, lib. II. c. V. semper in imo mari degunt, nunquam emergunt. Tales ii, qui in profundum peccati devenerunt, ideoque nunquam ad sapientiam percipiendam caput attollunt, juxta in Proverb. XVIII. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contennit*; et Psal. CVI. *Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquaverunt usque ad portas mortis*. Quos quidem similes ait S. Chrysostomus, serm. III. de Lazaro, artificibus illis qui eo insaniae et prodigalitatis deveniunt, ut instrumenta artis suæ vendant, quo fit ut ars universa ipsis sit inutilis, totumque quæstus fundamentum sublatum, nec aliud, nisi ut aut furentur aut stipem colligant, supersit. Quare uti prudens artifex maxuitæ alienum contrahere, quam artis instrumenta vendere: (utpote quibus lucrum facere, et debitum dissolvere potest) ita præstat magis (et alterutrum faciendum esset) alia, ad quæ tenebris negligere, adeoque debita alia contrahere, quam verbum Dei abjicere. « *Quemadmodum enim, inquit Chrysostomus, illis artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps; sic et nobis artis instrumenta sunt apostolorum ac prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitus inspirata et utilis*. Et quemadmodum illi per instrumenta quidquid faciendum suscepint, perficiunt: ita sane et nos per has fabricamur animam nostram depravatamque corrigimus et inveteratam renovamus. » Hæc ille. Quare ut fatui illi artifices famem tandem merito patiuntur; ita et verbi Dei contemptoribus jure minatur Deus per Amos, cap. VIII. dicens: *Et mittam famem in terram, non famem panis, neque siti aquæ, sed audiendi verbum Domini*. « *Illa famæ, ait Chrysostomus, hom. LIV. in Gen. corpus emaciavit, hæc autem animam attenuat*. » Atque hinc consequitur et illud alterum, a Davide et Job additum, ut tales appropinquent corruptioni et portis mortis, id est, peccato, tandemque inferno; quia uti famæ non tantum maciem et deformitatem inducit, sed præterea vel servire facit, vel furari et tandem suspendi: ita verbi Dei contemptus peccatum generat et damnationem, non tantum gratia et virtutibus spoliat. Unde S. Bernardus, in parvis sermonibus, serm. XXXIV. ait, multos compelli intrare in Ægyptum et teneas, servireque Pharaoni diabolo, ob famem verbi Dei, sicut famæ panis coegit Israelem intrare Ægyptum et servire Pharaoni.

Quod si furi panes et necessaria offerentur, et ille mallet furari, quam ea acceptare, insatum diceremus et suspendio altiori dignum. Modo sunt nonnulli, quibus panis verbi Dei afatim exhibetur: illi tamen malunt esse famelicí et defectu hujus panis omnia scelerá perpa-

DOMINICA IV. POST PENTECOSTE

et pericula subire. Propterea, Psal. LVII. temptus iste vocatur furor: Furor illis sicut pidis surda et obturantis aures suas. Numquid on est furor, quando cæcus respuit lumen, rægor medicinam, famelicus panem, sitibundus vinum, frigidus ignem, impugnatus clypeum, desolatus consolationem? Maledictus furor hic, quia pertinax, Gen. XLIX.

V. Alii perversi sunt, qui captos etiam pisces socios liberant. Talis imprimis torpedo, quæ torporem inducit captoribus ne rete queant attrahere, atque ita se et alias liberat, auctore Aristotele, lib. IX. animal. cap. XXXVII. tales et monachi marini, humana facie cucullati, in Norvegiae oceano, qui teste Ola, lib. XXI. c. 4. si quem suorum captum e navio asportari vident, furunt et strepunt omnes circa navem, quasi eam eversuri, nec ante conquescent, quam captivus dimittatur. Non desunt etiam huic sæculo ejusmodi socii. Multi profecto sunt, qui libenter et aures darent, et obedirent monitis salutaribus, ni a certis torpedinibus et monachis infernalibus impedirentur ea, quæ statuerant, perficere. At vero ubi unus est prædictator, ibi decem in mundo deceptores, qui homines pervertunt. Tales sunt hæretici, lenones, meretrices. Ubi unus Michæas dissuadet Achabo bellum iniquum, ibi quatuor centum pseudoprophetæ suadent, III. Reg. ult. Dico ego: Noli inebriari; postea ostendit tibi aliquis vitrum de fenestra, et statim tibi contrarium persuadet. Atque his vœ illud intolerandum minatur Dominus, Matth. XXXIII. *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, ait, qui clauditis regnum celorum ante homines, vos enim non intratis, nec introentes sinitis intrare*.

Sexto denique, quia alii plerique rebelles sunt, qui perticarunt ictibus et terroris incussione cogi in rete prædictoris debent. Necessarium foret ut ostendere possent concionatores infernum talibus, sicut fecit S. Patritius, ut refert Marulus, lib. III. cap. IV. ex Beda, tomo III. qui cum per Hiberniam iter faceret, et videret se nihil proficere prædicando, impetravit a Deo ut intra descripum a se circulum, aperiret se vorago et hiatus terræ profundissimus, quasi ad infernum penetrans, qui magnum omnibus incussit timorem, ne in profundum acti penas incredulitatem darent. Ejus indicia adhuc extare referunt. Denique, sicut legis promulgatio cum tonitruis et fulgurum coruscationibus facta est in monte Sina, ita his temporibus major hominum pars compelli ad Deum debet per magistratum sæcularem et censuras: quibus remotis concionator ludus fit: quonodo Loth visus est generis suis: *Quasi ludens loqui, cum suasit fugere imminens exitium*, Gen. XIX. Norint tamen isti se

nisi ingrediantur in rete Christi cogentos aliquando in rete diaboli.

Sed fortasse dicent aliqui, non tam in causa esse pisces, quam pescatores; si enim isti miracula facerent ut olim prædictatores, si sanctitate excellerent, si doctrina plures converterentur. Non abnuo magnam esse ex parte illorum causam: sed non video quam merito hæc causari possint pisces. Nam dudum præcesserunt miracula: modo non sunt amplius necessaria. Et Joannes nullum signum fecit, quem tamen sectuti sunt auditores. Neque est requirenda sanctitas; quia scriptum est: *Quod dicunt facite*. Et umbra etiam Petri sanavit ægros. Doctrinam summam inesse concionatori non opus; quia etiam per os asinæ locutus est Dominus, et mediante eo aperuit oculos prophetæ Balaam. Quare attendat unusquisque quid in se desideretur, et si vult aliquando in cœlestis beatitudinis piscinam intromitti, curet prius ingredi in rete pescatorum Christi.

CONCIO V.

QUOMODO SÆCULARIS QUISQUE PERFECTUS ESSE
QUEAT AC DEBEAT.

- I. Si Dei præcepta observet. — II. Si errores admisso mox in se puniat. — III. Si pugnet semper contra vitia. — IV. Si semper proficere conetur. — V. Si studeat præter præcepta, implere etiam aliqua non præcepta. — VI. Si conetur vitare etiam venialia.

THEMA.

Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.
Luc. V.

Multorum opinio laicorum est, se nequaquam ad perfectionem vitæ obligari. Dicunt enim, nos in mundo sumus et sæcularibus negotiis implacamur, ideo perfecti aut sancti esse non possumus nec debemus. Ad religiosos pertinet vita spiritualis et sancta, qui de mundo ad servendum Deo vocati sunt. Hi quidem in aliquo sensu verum dicunt; debent enim clerici et regulares majore vita perfectione prædicti esse quam laici, qui conjugum filiorum, et reipublicæ curam suscipiunt. Sed tamen ipsi quoque sæculares et laici perfecti et sancti esse debent, si partem velint habere in regno Christi et Dei. Hoc enim testatur apostolus ad Ephes. 4. *Elegit nos, inquit in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati loquitur autem de omnibus fidelibus: et S. Petrus, 1. Petri 4. Et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum: præterea ad Abraham dixit, Gen. XVII. Ambula coram me et esio perfectus: et Deut. XVIII.*

Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo : et Dominus, postquam christianæ perfectionis compendium propositisset in aureo illo sermone, habito in monte, subdit : *Estote igitur perfecti, sicut et Pater vester caelstis perfectus est,* Matth. V. Itaque etiam laici ad perfectionem obligantur, etsi non tantam, quanta requiritur in clericis. Hujus utriusque perfectionis disserimen et preceptum eruere possumus ex illis Domini verbis in hodierno evangelio lectis : *Duc in altum et laxate retia vestra in capturam. Duc in altum Petro et clero dicitur, ad indicandum clericos in perfectionis altitudinem navem suam ducere debere. Laxate retia dicuntur cæteris pescatoribus et christianis laicis, ad indicandum, debere eos laxare et extendere vires suas ad perfectionem christianam, et capiendum magnam piscium, seu meritorum copiam. Sed qua ratione sæcularis quisque perfectus et sanctus esse potest ac debet?* Audiamus.

I. Si Dei præcepta observet, seu (quod eodem recidit) si Deum super omnia diligat. Sic enim dicitur, 1. Joan. II. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Ratio, quia qui Deum super omnia diligit, ipsi et præceptis ejus nihil anteponit, sed paratus est in casu, quo oporteret aut præceptum Dei transgredi, aut perdere temporalia, quæ habet, bona : potius horum omnium jacturam facere, quam Deum offendere; sicque is, proposito saltem et in preparatione animi omnia temporalia relinquit, et odio habet, (quod est perfectorum) licet non reipsa, quod faciunt religiosi. Et quidem hæc perfectio omnibus præcepta est, eo ipso quod præceptum est diligere Deum super omnia et servare ejus mandata. Hoc sensu omnibus dixit Dominus, Lue. XIV. *Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Vult enim dicere hæc non esse diligenda æque ac Deum, multo minus supra Deum, et si a Deo quem abstrahere niterentur, tanta alacritate relinquenda, ac si odio haberentur: id quod perfectæ charitatis est. Parentes hoc pacto relinquunt, cum te a Dei servitio retinere volent : uxorem et filios cum in ipsorum gratiam, ut eos ornes et dites, non patet te impediri a restitutione bonorum injutorum : domum cum propter aliquod opulentum conjugium tibi oblatum in loco hæretico, non discedes a fide, sed potius a conjugio tibi oblatu : agrum, cum vides esse alienum, hæreditate tibi relictum, domino restitues potius, quam ut conscientiam tuam graves. Denique, si omnia quæ habes, ita possideas quasi commodata essent, suo domino brevi restituenda ; id quod vult apostolus, cum ad Corinth. scri-

bens, 4. Cor. VII. *Reliquum est, inquit, ut qui habent uxores tamquam non habentes sint ; et qui flent tamquam non flentes ; et qui gaudent tamquam non gaudentes ; et qui emunt, tamquam non possidentes ; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur ; præterit enim figura nujus mundi.*

Itaque religiosi in altum perfectionis ducunt navem, dum reipsa omnibus se abdicant quæ impedit eos vel abstrahere possunt a dilectione Dei et mandatorum observatione, ut ita a periculo remotiores sint et securius, atque perfectius Deo adhærent. Sæculares vero perfecti non quidem in hane altitudinem ducunt navem : sed retia sua laxat dilatando cor in tantum, ut parati sint parentes, commoditates, fortunam, sensum et voluntatem propriam, ipsam denique vitam expondere propter Deum. Illi instar militum caelium sunt, qui nulla secum ferunt bellum impedimenta, ideoque animosiores sunt et expeditiores. Hi velut conjugati qui secum ducunt uxores, liberos, supellectilem et similia impedimenta, quæ tamen, cum pugnandum est, non difficile relinquent.

II. Si errores forte admissos mox deflere et in seipso punire sibique irasci soleat et firmiter renovet propositum; sibi in posterum attendendi et serio cavendi etiam errores parvos. In hunc modum, quando magistratus alicujus civitatis, civium delicta statim et pro merito punit, tunc salva est et bene morata civitas: sin vero vita conniveat, et nec statim nec pro merito multet, tunc male gubernatur et vitiosa est. Hispani et Itali integerrimi et sanissimi sunt in fide, supra omnes nationes; non quod nulli unquam hæretici eorum terras peragrent vel in iis aliquamdiu demorentur, sed quod deprehensos statim ad inquisitionem rapiant, et convictos exterminent aut necent. Sic integer et perfectus erit non tantum is, qui nullos unquam admittit errores (quales in mundo paucissimi fuerunt) sed etiam is, qui mox deprehendit in se errores, et deprehensos statim ad examen rapit, convictos deflet ac punit, moxque confiteri proponit et serio statuit sibi in posterum cavere Deoque adhærente, etiam reclamante carne : quomodo S. Bernardus, ep. CCLII. ad abbatem de Præmonstrato scribit: *Adhærebo vobis etsi nolitis : adhærebo etsi nolim ipse.* Hoc est quod Psalmus CXXXVI. commendatur a Davide dicente: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram, in quem locum D. Hilarius :* « Beatus, inquit, est quisquis in exordio inhonestas quasque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex voluntate carnis oriuntur, primum intra Ius patientiae suæ virtutisque cohibebit : denique eas ad fidem et ad metum Dei allisas enecabit. » Si igitur statim capias et teneas, adeoque ad judi-

cium trahas tuos errores puniasque sat perfectus eris. Sicut et dominus illa mundissima, quæ quamprimum aliquis so-didis ingressus est pedibus, statim eluitur, et mundatur. Nemo ergo concidat animo, si forte labatur aut non tantum proficiat; quantum optat, sed hoc ipsum pro signo habeat, quod tendat ad perfectionem, si defectus ad tarditatem suam in se notet, ideoque sibi dispiceat. Sic apostolus ad Philip. III. confitetur suam imperfectionem, et postea fateatur se perfectum. « Quare, inquit S. Augustinus, ser. XLIX. de temp. nisi quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum ? » Et ser. XV. de verbis apostoli: « Semper tibi dispiceat, quod es, inquit, si vis pervenire ad id quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti ? Si autem dixeris : Sufficit, et periisti. » Sic ille. Et Hieronymus, ep. ad Ctesiphont. *Hæc una, inquit, præsentis vite perfectio est ut te imperfectum agnoscas.*

III. Si pugnet semper contra vitia et pravas affectiones : eas in se vincere sive concupiscentiam rationi subdere conetur. Hunc enim conatus et indefessum pugnandi laborem reputabit Deus pro victoria. Quemadmodum enim dux exercitus, qui mittitur a rege ad reprehendendum et debellandum aliquem hostem patriæ, si faciat quod potest, nunquam non infestet, impugnet et persecutatur hostem : licet non omnino expugnet et ad internectionem debeat, immo licet quandoque minus feliciter pugnet; nihilominus tamen egregius miles reputabitur ac præmiabitur : sic Christianus, qui per confirmationis sacramentum accingitur et mittitur ad bellum contra hostes animæ, et maxime contra concupiscentiam carnis, patriæ hostem perpetuum si agat quod agit, nec desinat impugnare hostem et dejicere in terram : licet is subinde resurgat et rursum bellum moveat; non ideo non censetur egredius miles Christi. Unde apostolus, II. ad Tim. II. non ait: *Vince, sed : Labora sicut bonus miles Christi Jesu.* Licet ergo sentias æstus choleræ, aut libidinis, modo non consentias, sed in corde tuo dicas: *Nolo consentire his illecebribus, displicent mihi motus isti, etc. eris coram Deo, non cholericus aut impurus, sed cholerae et libidinis domitor.* Sieut si adultero uxorem alicujus sollicitante ad peccatum, ipsa cum vi expellere eum nequit, (utpote debilior) constanter reclamat et resistat tantum abest ut dispercat marito id forte audienti; ut potius vehementer placeat et fidelis reputetur. Quamdiu vivimus, non possumus omnino extinguere in nobis ignem concupiscentię, (nisi Deus speciali beneficio id quibusdam concedat) sed possumus ac debemus coercere, ne nobis noceat; sieut retrocessim canem possumus alligare ad catenam,

ne nos vel nostros mordeat; licet non possimus reddere mansuetum. Nonne angelus sanctissimo illi abbati et libidinis domitori Paphnutio, cum is a scintilla læderetur dixit: *Paphnuti, ab igne offendi potuisse miraris, cum nec dum ignem, qui in te est sit penitus, ut putas, extinctum geras ?* apud Cassian. coll. XV. c. X. Annon Ursinus Nursiæ postquam presbyter factus uxorem mississet, et ne prope quidem ad se accedere permisisset per annos quadraginta, tandem animam agens (cum uxor aurem admoveret exploratura, num maritus adhuc spiraret) exclamavit: *Recede mulier, nondum penitus extinctus est igniculus : tolle paleam,* apud Greg. l. IV. dial. e. XI. Tametsi igitur non omnino extinguamus ignem concupiscentię, possumus tamen ac debemus ita eum sopire, ne nobis noceat: quod nobis pro victoria reputabitur. Id præcepit Deus cum dixit ad Cain: *Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius,* Gen. IV.

IV. Si semper præficere in virtutibus conetur et quas in aliis cernit, imitari. Rursum si ingemiscant, quoties aliquid præclaræ virtutis in aliis videt, quod ipsi deest, idque saltem desideret et dicat: *O quam vellem esse huic similis ! O si et ego tali prædictus essem virtute ?* Doceo et confundor, quod adbuc in salo hæream, isti vero tantos in virtute progressus fecerint. De primo ait S. Bernardus, in ep. CCLIII. ad Guarinum abbatem: *Indefessum proficiendi studium et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Sane apostolus Paulus ad Philipp. c. III. ait: *Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim ; sequor autem si quomodo comprehendam, hoc est, nondum assecutus sum omnem virtutem, ut expounit Chrysostomus et Theophylactus.* Et tamen Paulus perfectus erat, nam mox subdit: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Itaque perfectus erat, quia semper perfectioni studebat, licet fastigium virtutum omnium non attigerit. Ad eundem modum, non desinamus studere temperantie et erimus temperantes, studere castitati et erimus casti, etc. adeoque perfecti, si ad interiora semper nos extendamus. Non cogitemus quæ retro sunt, id est, bona quæ egimus, sed que adhuc agenda supersunt. Hoc est, quod apostolus subdit: *Qua quidem retro sunt obliscens, ad ea vero quæ sunt priora, extensis me ipsum.* Perfectio ergo hujus vitae non consistit in eo, quod quis plane perfectus sit, nihil habens vitii aut defectus: sed in continua tendentia, cursu et conatu ad perfectionem. Hæc enim est perfectio viatorum, ut continuo et celareriter in via sua progrediantur. Unde August. l. de perfect. justitiae, cap. IX. ait: « Perfectus est, qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa

etiam peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Sic vocantur philosophi et theologi, qui student philosophiae et theologiae, licet adhuc multa nesciant.

De secundo sanctus quidam doctor, ut refert Cornel. in c. IV. Gen. ait: *Quidquid tota corde, tota intentione, tota desiderio vis, id est certissime, Suadetque si magna dare aut facere non potes, magna saltem habeto voluntatem, eamque ad immensa extende: et S. Augustinus, tract. IV. in ep. 1. Joan. « Tota vita, inquit, boni Christiani sanctum est desiderium proficiendi. Hic sinus noster est, hic saccus, et quia angustus est, extendendo facis capaciorem. »*

V. Si non ea praecepsa quæ præcepta sunt, studeat adimplere, sed aliqua etiam quæ consilijs sunt, vel si præcepta in majori rigore, quam præcepta sunt, conetur implere. Optimus ille servus est et perfectus, qui non tantum mandata exequitur domini, sed qui nutibus etiam domini paret et propensioni ejus se accommodat, quales tres illi fortis milites Davidis, qui dicente David: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem! statim irruerunt per media Philistinorum castra et attulero aquam, II. Reg. XXIII. Et licet non obligemur ut omnia media possibilia ad ei serviendum adhibeamus, obligamur tamen omnes, ne terminum statuamus, vel obicem ponamus christianæ perfectioni, velut si diceremus: Satis*

mihi est ipsa præcepta servare, nolo ullum ex consiliis amplecti. Talis enim sermo vel cogitatio occluderet portam Spiritui sancto ad consiliorum observantium impellenti. Deinde, qui tam parce cum Deo agit, ut non det, nisi quod debet, ostendere videtur, se etiam illud ægre dare, quod debet. Et contra si plus quam præceptum est, facere conemur, fiet inde primo, ut simus remotores a maculis culparum et transgressione mandatorum: non enim furabitur aliena, qui propria libenter largitur: procul erit ab ulciscenda injuria, qui persecuti præbuerit alteram quoque maxillam: non facile negliget audire missam diebus festivis, qui studet audire quotidie: non negliget confiteri et communicare in paschate, qui saepius id agit per annum. Ut enim ante muralia defendunt muros, sic consiliorum observatio securiore reddit præceptorum observantium. Secundo, ut facilis observentur præcepta. Ut enim volueris, cum utramque habet alam, facile per aerem libratus corpus: quæ tamen si unam tantum habeat, difficulter vel in ipsa terra ambulat: cum sola sit onus, utraque vero levamen. Ita qui statu solum ea servare quæ præcepta sunt, cum magna molestia ambulavit et versabatur in pericolo cum ipso onere in terram decidendi; qui

autem præter præcepta conatur etiam pro viribus aliqua saltem servare consilia, facile servat præcepta. Audiamus porro qui hac de re predicit Dominus in præclaro illo sermone, in quo summam perfectionis christianæ comprehendit: « *Audistis, inquit, quia dictum est: Oculum præ oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te pereverserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram, et ei qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit a te, da ei, et volenti mutuare a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persecutibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in celis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius faciatis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester ecclesiæ perfectus est. » O fidelem sermonem et omni acceptance dignum! Sed proh dolor, quam alienum a moribus Christianorum hodiernorum!*

VI. Si conetur pro viribus etiam venialia peccata vitare et leviores defectus. Licet enim hasce leves culpas evitare omnes non possimus (nam etiam perfectissimi tales habent) omnes tamen tenemur omnem adhibere operam ut eas evitemus, et conari ut: *Simus integri, in nullo deficiente*, ut ait Jacobus, c. 1. Bonus enim servus studet nec in parvis quidem offendere herum. Et qui nollet esse sollicitus de venialibus vitandis, eo ipso mereretur tandem a Deo deseriri ut in mortalia laberetur? juxta id Eccl. XIX. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Non est verus amicus, qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino amicus non esset: sic qui non vellet adhibere curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipso convinceretur non esse amicus Dei. Similiter non est bonus famulus qui non obsequitur domino, nisi quando is gladium in eum stringit. Talis est, qui venialiter peccare non timet (licet sciat se propterea mittendum in purgatorium) sed tantum mortaliter, quod meretur infernum.

At Deus bone! quars rari inveniuntur, qui haec observant? Quam pauci sæculares quæ huic perfectioni student. Nam imprimis, quam vilie committuntur gravia peccata pro modico parando, vel damno avertendo. In legi veritate

I. Incitat exemplum præclarorum virorum. — II. Periculum. — III. Anceps nostra negotiatio. — IV. Nocturna dæmonis insidia. — V. Utilitas unde proveniens. — VI. Facilitas et modus examinandi se.

THEMA.

Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Luc. V.

Tam nobile et sublime studium docent nos hodierni piscatores, uti merito dubitem, num id meis auditoribus proponere ad imitandum, et de eo verba facere debeam. Vereor enim ne mihi eveniat, quod hodie evenit piscatoribus dum tota nocte laborantes nihil ceperunt: ne inquam tota hora de hoc studio loquendo, nihil omnino capiam. Sed quod tandem hoc est studium? Examen conscientiae quotidie facendum: quod in hodierno evangelio per mystrium docent piscatores, dum peracta pescatione descendunt et lavant retia sua. Quid enim hoc monet aliud, quam ut peractis diei negotiis, descendamus ex seculi negotiis et turba in cor nostrum, et rete conscientiae nostræ purgescamus, fæces et sentes peccatorum excutiendo? Sed video mihi jam videre, qui nasum corrugent et fugiant antequam rete laxent in capturam; putant enim hoc exercitum religiosorum esse, non sæcularium. Qui tamen, ut verum fatear, nescio qua Christiani sint, si id amplecti nolint. Juvat igitur de hoc aliquid dicere, et in nomine Domini laxare retia. Proderit saltem hoc omnibus ad bonam præparationem ante confessionem faciendam.

I. Incitare ad hoc debet exemplum præclarorum virorum. Imprimis Genes. XXIV. Isaac, eo ipso tempore quo expectabat sponsam sibi adducendam, deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen est: *Viventis et videntis, et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die*. Quod loco non tantum exemplum sed etiam figura exprimitur hujus examinis. Meditatio enim illa fuisse videtur ejusmodi examen aliquod; siquidem Septuaginta vertunt ad exercendum. Instituitur autem recte hoc exercitium ad puteum viventis et videntis, id est, ad meditationem putei tartarei et iudicis Dei viventis omniaque videntis: et inclinata die, ut rationes colligantur præteriorum actionum. Habeamus secundo, magistrum hujus examinis Davide, qui Psalm. LXXVI. ait: *Meditatus sum nocte cum corde meo et exercitabar et scopebam spiritum meum, id est, scopis verrebam et agitabam, seu*